

pervenerint recognoscimus publice protestantes, quod volentes nos cum honorabili viro domino nostro .. domino Johanne praeposito ecclesiae nostrae nec non cum honesta domina Konegunde ipsius matre relicta quondam Henrici dicti de Zuckelosen<sup>a)</sup> felicitis recordationis super debitis scilicet triginta sexagenis, in quibus ecclesia nostra obligatur eisdem et quas scimus ac in his scriptis profiteamur in usus ecclesiae nostrae necessitatis tempore pervenisse, amicabiliter prout tenemur et condecet expedire; ipsis matura deliberatione praehabita ex unanimi omnium nostrum consensu dedimus et assignavimus, praesentibus quoque damus et assignamus tres sexagenas grossorum annuae pensionis quamdiu vixerint de bonis dictae ecclesiae nostrae percipiendas pacifice sub hac forma, quod una sexagena grossorum in festo Michaelis de silva ecclesiae nostrae, in festo autem beati Martini dimidia sexagena etiam de silva huiusmodi, alia vero dimidia sexagena de manso, quem Johannes dictus de Yleburg ab ecclesia pronunc possidet, in natali domini tertia sexagena etiam de saepedicta silva ipsis aut alteri ipsorum uno decedente debet cedere annis singulis expedite, ita sane quod post amborum obitum duae sexagena cum dimidia dictae pensionis quae cedent de silva ad praeposituram ecclesiae nostrae libere devolvantur, dimidia vero sexagena quae cedit de manso praefato ex tunc pro anniversariis dictorum videlicet Henrici de Zuckelosen necnon Konegundis suae conthoralis legitima parentum domini nostri praelibati iugiter peragendis, fertio scilicet in anniversario patris et fertio in anniversario matris dominis in conventu pro consolatione debet perpetuo ministrari. Testes praemissorum sunt Johannes dictus de Mockow, Joh. de Pygauia Joh. de Beringershayn, Conr. de Acie nec non magister Mathias et quam plures alii fide digni. In quorum evidens testimonium sigillum nostrum praesentibus est appensum, promittentes nihilominus, si quod absit dicto domino nostro vivente alius fuerit factus praepositus, tunc illius sigillo praesens scriptum pro maiori robore procurabimus communi. Datum anno domini M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>.XL<sup>o</sup>.III<sup>o</sup>. in vigilia beati Thomae apostoli gloriosi.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit den Siegeln des Capitels und des Probsts Heinrich an Pergamentstreifen.

a) Vgl. No. 100.

No. 108. 1349. 28. Febr.

*Probst Heinrich verschreibt dem Convent zwei Schock jährl. Zinsen aus dem Dorfe Lausen und vom Flusse Pustenitz.*

Nos Henricus dei gratia praepositus canonicorum regularium monasterii sancti Thomae apostoli in Lypzk recognoscimus publice praesentibus protestantes, quod propter maius bonum ecclesiae nostrae accedente unanimi consensu omnium ipsorum dedimus et assignavimus ac in his scriptis damus et assignamus dominis in conventu duas sexagenas grossorum annuae pensionis, unam scilicet sexagenam cum dimidia de bonis in villa et campis villae Lusen in quolibet festo beati Michaelis annuatim persolvendam nec non unam dimidiam sexagenam de fluvio nostro dicto Pustenicz, cuius unus fertio in festo Paschae alius vero in festo Michaelis annis singulis dari